



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 4. Francisci Pici Mirandulani Oratio de correctione morum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

censebant, non satis adhuc aliis prospere-
 ctum esse caussis, ideoque Synodum non
 tam cito dissolvendam, nihilominus ma-
 jori parte huic decreto acquiescente finis
 est Concilio impositus. Quapropter
 cum Cardinalis S. Eustachii alta, distin-
 ctaque voce cantaret: *Domini, Ite in pa-*
ce, ac cantores capellæ Pontificiæ in eo-
 dem tono: *Deo gratias* responderent,
 mox incipiebatur Hymnus Ambrosianus,
 quo absoluto Pontifex mulo vectus ad
 Palatium reversus est, comitantibus eum
 Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis,
 Episcopis, Oratoribus, aliisque quamplu-
 rimis Proceribus: Finita igitur est Sy-
 nodus V. Lateranensis, postquam quinque
 ferme annos tenuisset.

Secul. XVI.
 A.C. 1517.

§. IV.

*Francisci Pici Mirandulani Oratio de
 correctione morum.*

Ad calcem operum Pici de Mirandula
 habetur oratio, quam nonnulli in hac
 ultima Sessione perlectam contendunt,
 quamvis in Actis Concilii desideretur;
 in illis quippe non nisi sermo a Maximo
 Corvino Æterniensi Episcopo declamatus
 reperitur; illa autem oratio, quam inter
 Pici Mirandulani opera relatam diximus,
 gravibus admodum verbis concepta est,
 illiusque Auctor corruptos illius ævi mo-
 res

*Extat in fin.
 oper. Pici
 Mirand. &
 apud Or-
 thuin. in Fasc.
 rer. expet.*

Sæcul. XVI. A.C. 1517. res acrius infectatur. Cerno equidem, inquit Picus, sæpenumero sermonem esse habitum de novis statuendis legibus, ego autem de veterum custodia differere aggredior contra luxum, libidinem, avaritiam, pro pietate, & iustitia, ceterisque virtutibus: multi Principes priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem, & parsimoniam in Luxum & avaritiam converterunt, apud plerosque Religionis primarios, ad quorum exemplum componi ac formari plebs deberet, aut nullus est, aut certe exiguus Dei cultus; nulla bene vivendi ratio, nullus pudor, nulla modestia; iustitia vel in odium, vel in gratiam declinavit, pietas in superstitionem pene procubuit, virtus vitio vertitur, vitia virtutum loco honorantur: Sacræ ædes lenonibus, & catamytis commissæ, nefariis lupis optimi Pastoris ovilia demandata, exempta, & vendita Sacerdotia. Hortatur demum Leonem, ut his malis mederi, cunctosque ad leges Ecclesiæ servandas cogere velit, eundemque terret exemplo Heli summi Sacerdotis, gravissime a Deo puniti, quod non animadvertisset in liberos suos (*)

§. V.

(*) Spondanus ad annum 1517. num. 3. ex quo hæc ad verbum descripta sunt, haud immerito, an hæc oratio Joannis Francisci Pici vere